

tradito instrumento alicujus rei, videtur donata & tradita ipsa res contenta in instrumento, & tamen ibi concurrat præsumptus titulus, & ficta traditio rei; ergo non deberet transferri dominium & possessio ejus. Quia respondeo quod ibi verus titulus & vera traditio intervenit, saltem illius instrumenti corporalis quod traditum fuit; unde, hic resultat titulus & possessio rei contentæ sub eo; cum aliud non potest operari; & sic continet & repræsenterat contentum sub eo, concurrente legis dispositione: Et iste est verus sensus & intellectus illius legis, & solutio hujus difficultatis. Facit text. in leg. Qui chirographum. ff. de Legat. 3. text. in leg. Servum filii. §. Eum chirographum, de Legat. 1. text. in l. 2. Cod. Quæ res pignori obligat. poss. text. in l. 3. & 4. ff. de lib. legat. notatur in l. 2. ff. de Pactis.

22 Secundo non obstat text. expressus & non declaratus à DD. in l. Qui bona fide. ff. de Acquir. posses. & in l. Interdum. §. fin. infra eodem, ubi dicitur, quod si ille qui non est dominus possideat aliquam rem, quam bona fide emit, & eam conducatur à vero domino; statim desinit possidere, & per istum actum fictum etiam sine causa vel titulo transfertur possessio in ipsum dominium: & ad hoc notat ibi communis opinio. Quia ad illum textum dupliciter respondeo: Primo modo, quod verus dominus & possessor non potest transferre in alium possessionem per actum fictum, nisi præcedat causa vel titulus habilis; & ita procedat ista nostra secunda conclusio: ille verò qui non est dominus, si possideat, bene potest transferre possessionem in alium etiam per actum fictum sine causa vel titulo; & ita procedat & intelligatur text. in dict. leg. Qui bona fide, & in leg. Interdum, §. fin. & in expresso ita tenet & declarat Bart. in l. Quod meo, 1. col. n. 1. licet communiter deficient ibi aliqua verba: & istam declarationem & concordiam ponit ibi Paul. 2. col. in fine, & cum ea transeunt indifferenter ibi DD. & expressè dicit ibi Roman. 1. col. in fin. quod distinctio Bartol. communiter tenetur. Sed attende, quod iste intellectus non videtur esse verus, cum nulla ratio differentie possit assignari: Unde, cogitavi quod vera & propria ratio est; quia in istis iuribus intervenit vera & justissima causa, scilicet, quod ille cui tradebatur possessio, erat verus dominus; unde, non oportet sibi concedere causam vel titulum de novo, cum ipse perfectum titulum & causam habeat: & ideo non dominus possessor potest per actum fictum transferre possessionem: & iste est verus & clarus intellectus illarum legum. Ex quo resultat contra

Bartol. & DD. quod indistinctè dominus & possessor, vel non dominus, non potest transferre possessionem sine causa vel titulo, & per consequens venit reprobanda Glossa, cum qua omnes ibi transeunt in dict. leg. Qui bona fide, ubi dicit, quod illa lex procedit etiam si non dominus qui possidet conducatur rem ab alio non domino; cum ibi nulla subsit causa vel titulus habilis, mediante quo per actum fictum possit transferri possessio.

23 Tertia conclusio est, quod ex inutili & invalido contractu bene transfertur possessio, interveniente actu vero traditionis: textus est notabilis & subtilis in leg. 1. §. Si vir uxorem, supra. ff. de Acquir. posses. text. in leg. Quod uxor. eod. tit. text. in l. 1. §. Dejicitur, vers. Denique. ff. de Vi, & vi armat. text. in l. Si donante, in princip. ff. de Donat. inter vir. & uxor. text. in l. Nec ullam. §. Omnibus, vers. Item in tit. pro donato. ff. de Pet. hered. quibus probatur, quod ex donatione inter maritum & uxorem, licet penitus contractus vel titulus sit nullus, adeo quod ex eo nulla oritur actio, vel obligatio civilis, nec naturalis, ut in l. 1. in princip. ff. de Donat. inter virum & uxor. & in l. 3. §. Sciendum, eod. tit. & in l. Si sponsus. §. Si uxor viri, eod. tit. ubi dicitur, quod ei non accedit fidejussor; & tenet Bart. magistraliter in l. Cum lex. ff. de Fidejussor. 2. column. num. 8. idem Bart. in l. Quod meo, 1. col. num. 1. ff. de Acquirend. posses. & utrobique communis opinio. Tamen ex tali contractu possessio bene transit in uxorem, interveniente actu vero traditionis.

Sed difficultas subtilis est in hoc articulo, pro intellectu illorum iurium, cum de jure talis contractus sit invalidus ipso jure, quare valeat & acquiratur ex eo possessio? Et dico, quod vera & subtilis ratio est, quia possessio non causatur ex contractu, tamquam ex proxima & immediata causa; sed ex facto naturali, & sic ex traditione ipsius rei; unde, licet contractus est nullus, non impeditur acquisitio possessionis, si ibi intervenit verum factum & traditio. Et in expresso istam rationem ponit Consultus in dict. l. 1. §. Si vir uxori, ibi, Quoniam res facti infirmari jure civili non potest. Cujus sensus est quod cum possessio causetur ab ipso facto traditionis, ut supra late deductum est in definitione, & istud factum secundum veritatem non possit infirmari jure civili; merito ex tali facto transit possessio, licet ipse contractus sit nullus; & ista est vera & propria intentio Consulti in dict. §. Si vir uxori & ista est intentio Bartol. Paul. & aliorum: & expressè istam rationem per illum text. ponit Bald. in l. Non dubiam. Cod. de

de Legib. 8. col. num. 18. & Paul. ibi, pen. col. in princip. Jas. ibi, penult. column. n. 55. & istam doctrinam in alio proposito ponit Glos. in l. 3. §. Ex pluribus, in glos. fin. & ibi expressè Alber. 1. col. in fine. ff. de Acquir. posses. Nec huic subtili rationi obstat si dicas, quod licet factum illud naturale, & sic traditio, non possit infirmari & infringi per jus civile secundum veritatem; tamen potuit infringi secundum fictionem juris, ut fingatur non esse factum; cum jus civile semper possit fingere contra veritatem in his quæ sunt facti, ut in leg. Retro. ff. de Captivis, & in l. In omnibus, & in l. Bona eorum, eod. tit. & quasi per totum, & in §. Si ab hostibus Institut. quibus mod. jus patr. pot. sol. Quia respondeo, quod lex numquam fingit, nisi subsistente æquitate & necessitate: text. est in leg. Sciendum. ff. Ex quibus caus. major. text. in l. Postliminium. ff. de Captivis, text. in l. Non dubito eod. tit. in princ. & istam regulam & doctrinam ponit Bart. in l. Si is qui pro emptore de usucap. 3. col. num. 2. Sed in isto casu cessat æquitas & necessitas fingendi, & ideo lex non fingit; nam cum sola voluntate amittat quis possessionem, ut in l. 3. §. In amittenda, & in l. Si quis vi. §. differentia. ff. de Acquir. posses. sequitur, quod licet per traditionem rei non quæreretur possessio uxori, amitteret eam maritus: imò etiam amitteret sua voluntate, licet rem non traderit, sed in ejus detentatione permanserit, ut in dict. iuribus: Unde merito, cum maritus debeat perdere possessionem, quæritur ipsi uxori virtute traditionis, licet contractus sit inutilis. Et iste est verus sensus & intellectus textus in dict. §. Si vir uxori, ibi dum dicit: Et quid attinet dicere? non possidere mulierem cum maritus ubi noluit possidere protinus amiserit possessionem? Et ita intelligit & declarat illum textum Bart. ubi, uno verb. num. 2. Joande Imol. in princip. Roman. in princip. Vincent. melius quam alter. ibi, 1. & 2. col. Jas. ibi, 2. col. num. 3. & ita intelligit & declarat illum textum latius & expressius Bart. in leg. Si is qui pro emptore infra de usucap. 10. col. post medium. num. 27. Imol. 7. column. prope fin. Jas. ibi 51. col. num. 250. & iste fuit sensus ibi Bald. in l. Sive possideris. 2. col. post princip. Cod. de Probat.

24 Nec obstat si iterum replices contra istum verum & subtilem intellectum, quod si uxor non acquireret possessionem ex isto inutili contractu, maritus non perderet eam, licet rem traddiderit; quia regula notabilis juris est, quod si quis vult rem suam, vel aliud jus quod habet transferre in alium; si illi alteri non po-

test ex juris dispositione quæri, non amittit tradens, nec abdicatur à se, quasi sub illa conditione datum: istam regulam & conclusionem probat text. notabilis in l. Utilem. ff. Ex quibus caus. major. quem ibi ad hoc notat Alber. Bart. Bald. & communiter DD. & istam doctrinam per illum textum ponit Bart. ubi infert. ad notabilem quæstionem in l. Qui Romæ. §. Duo fratres. 10. quest. ff. de Verb. obligation. & communiter DD. super illa quæst. istam etiam regulam probat text. & ibi notat Bart. & DD. in l. Cum quis, si debitorem. ff. de solution. text. leg. Si Vir uxori. vers. Sed si promissor. ff. de Donation. inter vir & uxor. Si ergo in præsentis casu & l. Si rem. §. Si vir uxori & similib. possessio non quæreretur uxori, non amitteret eam maritus: & sic ratio prædicta communis non videtur concludere. Quia ad hoc respondeo, quod prædicta regula & doctrina contraria procedit & habet locum tantum in dominio, quod quis vult à se abdicare & in alium transferre; quia si non potest ibi quæri, non recedit à domino, sed remanet penes eum: secus verò est in possessione; quia etiamsi non quærat, nec possit quæri accipienti, deperditur & abdicatur à possessore: ita notabiliter Alber. in dict. l. Nec utilem in princip. ex quibus caus. major. & ita tenet & declarat Bart. in l. Si ego in fin. ff. de Negot. gest. & ibi Alber. 3. col. Paul. in fin. num. 7. & ita tenet & declarat Glos. ordinaria in dict. l. Cum quis. §. Si debitorem. in glos. 3. ff. de Solut. & ibi Bartol. num. 2. Paul. n. 5. Alber. & communiter DD. Bartol. Alber. Paul. & cæteri in l. Qui hominem. §. Si debitorem, eod. tit. & ita etiam tenet & declarat Gloss. ordin. in dict. l. Vir uxori, vers. Sed si promissor. ff. de Donat. inter vir. & uxor. & reputat ibi notabile Fulgos. Pro qua sententia & declaratione est casus expressus in leg. Quod meo. §. Si furiosa. ff. de Acquir. posses. & ibi expressè tenet Gloss. 2. ibi Bartol. Alber. Paul. Imol. Aretin. Alex. & communiter DD. Textus etiam expressus in l. 1. §. Procuratorem, in fin. eod. tit. Aret. in l. Naturaliter. §. Nihil. commun. 7. column. eod. tit. & ita defensatur intellectus subtilis & communis dict. §. Si vir uxori & similib. quia merito ibi acquiritur possessio; quia etsi non quæreretur, nec posset quæri ex juris resistentia, non remaneret penes maritum, sed amitteret eam, per supra dicta: & ista est perfecta resolutio illius text. & sensus ejus, sic ab alio non dilucidata.

25 Ex superiori tertia principali conclusione sic declarata & confirmata, quæ habet, quod ex inutili contractu transfertur possessio interveniente actu vero traditionis, infero. Primò, quod

quod ex contractu facto à minore super re immobili sine decreto cum autoritate tutoris vel curatoris, secuta traditione, transit possessio: Glossa est notabilis in l. 2. §. Si à pupillo. ff. Pro emptore in Gloss. 1. prope finem, quem ibi commendat Joan. de Imol. 2. col. in fin. commendat Alexand. in dict. §. Si vir uxori, 2. col. num. 4. & dicit eam notabilem Jas. ibi, 3. col. numer. 14. & Vincent. ibi, 5. column. in fin. & illam Gloss. reputat singularem Alexand. in l. Possessionem pupillum, eod. tit. 2. col. in princip. & hoc etiam tenet Bald. licet non alleget illam Gloss. in l. Magis puto, in princip. ff. de Rebus eorum, post Jacob. de Aret. Pro qua Gloss. & sententia facit text. in dict. l. Possessionem pupillum, ff. de Acquirend. possess. ubi est text. quod pupillus sine tutoris autoritate non potest animo amittere possessionem; ergo cum tutoris autoritate videtur quod possit: & per eum ita tenet ibi Rapha. Cuman. post princip. Ex quo ibi infert, quod si pupillus cum tutore, vel adultus cum curatore fecisset commissum super re immobili sine decreto, licet Arbitri non possint pronuntiare super proprietate, poterunt tamen pronuntiare super possessione. Facit etiam bonus text. in l. Pupillus, supra, de acquir. rer. domin. cujus verba sunt: Alienare verò nullam rem potest, nisi presente tutore auctore, & nec quidem possessionem quæ est naturalis. Ergo tutore auctore posset. Tertio pro ista sententia ultra DD. considero textum expressum & meliorem de jure in leg. 2. Cod. Si quis ignorans rem minor. esse sine decreto comparaverit, ubi dicitur, quod si res sit alienata sine decreto, possessio retrahatur & revocetur à possessore: ergo translata fuit. Ex quo etiam deducitur, quod adultus carens curatore, alienando rem sine decreto posset transferre possessionem, per supra dicta: pupillus vero sine tutoris autoritate, vel adultus habens curatorem sine ejus autoritate, non posset alienando vel contrahendo transferre in alium possessionem civilem vel naturalem: de civili est text. in dict. l. Possessionem pupillum, de naturali est text. in dict. l. Pupillus, ff. de Acquir. rerum domin. ibi: Et nec quidem possessionem quæ est naturalis, & utrobique commun. opinio. Quod procedit modò pupillus vel adultus verè tradat, modò fictè, secundum DD. ibi. Adde tamen, quod naturalem possessionem bene posset minor perdere, etiam sine tutoris vel curatoris autoritate, exeundo de fundo, ita quod non sit in conspectu, vel prope; quia quilibet major sic amitteret: text. in hoc notabilis in dict. l. Possessionem pupillum, & per eum ita tenet ibi Gloss. ordinaria Alber. Paul. Joan. de

Imol. Cuman. Aretin. & Alex. & Din. & Odrad. quos ibi refert Alber. tenet etiam Vincent. quid in hoc puncto notabiliter in dict. l. 1. §. Si uxori, 5. column. num. 11. cujus ratio est; quia tunc non amittit immediatè ex sua voluntate vel contractu, sed ex legis dispositione: & in hac ratione se fundat text. Gloss. & commun. opinio. Ex quo textu sic intellecto cum ratione infert ibi Franc. de Aretin. 1. col. in medio, quod læsio quæ infertur alicui ex immediata dispositione juris, ita comprehendit pupillum, sicut majorem: & licet ipse non alleget, ita expressè notat ibi Alberic. post Jacob. de Rac. Pro qua consideratione facit bonus text. Si in l. Si sine hærede, §. Lucias, ff. de Admin. tutor. per quem ita tenet Bald. in l. Non videtur, Codic. de In integr. restitut. 2. col. post princip. & ultra eos facit melior text. de jure in l. fin. §. Defensionem, Codic. de Administrat. tutor. Ex quo deducitur, quod si prædictus minor haberet solam possessionem naturalem, quam animo quis potest retinere, quocumque vadat, per absentiam eam non posset remittere, etiamsi vellet eam amittere & à se abdicare, argumèto illius text. cum ratione: & ita ibi tenet Alber. Paul. & Cuman. & Vincent. in dict. §. Si vir uxori, 5. column. num. 12.

Sed contra istam primam illationem facit expressus & notabilis text. in l. Jubemus, la. 2. §. Sane, el. 2. in fin. ibi: Sed possessionem Ecclesiasticam, &c. ubi probatur, quod si res Ecclesiæ vendatur, etiam cum autoritate administratoris, non adhibita juris solemnitate, non potest transferri possessio, imò ipso jure traditio est nulla: Quia primò respondeo, quod ille textus loquitur tantum respectu domini, sive proprietatis, & non respectu possessionis, & ibi possessio ponitur pro ipsamet re, sicut in jure nostro multoties reperitur, ut in leg. Interdum, ff. de Verbor. significat. & ita resolvit & respondet Bart. in dict. §. Si vir uxori, n. 3. Vel aliter & secundò respondet ibi Bartol. quod ille text. loquitur in persona quæ non potest perdere possessionem, ut pupillus, vel Ecclesia: & cum ista secunda solutione Bart. transeunt ibi Cuman. & Alexand. 2. col. & Roman. ibi in princ. Sed attende, quod ista solutio posset esse vera, & clarè procederet, quando talis inhabilis persona per se transferret possessionem sine autoritate administratoris: Unde, præsupposito quod ibi intervenit autoritas administratoris, videtur difficile contrarium; cum per superiora jura sit conclusum, quod cum autoritate alterius posset persona inhabilis transferre possessionem. Unde tertio, posset dici, quod ille textus solùm procedat in rebus Ecclesiasticis,

cis, propter favorem earum. Sed certè verior & propria solutio est prima, quam assignavi, quod ibi possessio ponitur pro ipsamet re, & sic pro dominio vel proprietate, & illa impeditur, & ipso jure non transit; & ita dicit quod ille textus debet intelligi, Vicent. in dict. §. Si vir uxori, 5. column. in medio. num. 11.

26. Secundò ex prædicta tertia conclusione principali infero notabiliter, quod si res majoratus, vel prohibita alienari, alienetur, quod in accipientem transit possessio tam civilis, quam naturalis, licet contractus ipse nullus & inutilis sit: argumento textus & superioris conclusionis in dict. §. Si vir uxori, & in expresso per eum ita tenet Bald. in leg. 2. ff. de Juridict. omnium judic. final. column. in fin. & hoc tenet & reputat notabile Franc. de Aret. in dict. §. Si vir uxori, 2. column. in medio. Alexand. ibi penultim. column. fin. quart. Jas. 3. column. num. 12. Vincent. ibi 14. column. num. 28. hoc etiam tenet & reputat notabile Ludovic. Roman. in leg. Is cui bonis, 1. column. num. 3. infra de verb. obligat. & tenet & sequitur ibi Aret. 1. column. 1. not. Jason. 2. column. num. 5. & ibi Franc. de Rip. 12. column. num. 5. Pro qua sententia facit bonus textus quem DD. non allegant, in leg. Non alienat qui duntaxat amittit possessionem, & ibi expressè notat ad hoc Joan. Ferrar. post Antiquos: textus in leg. Item si res, §. 1. versic. Potest. ff. de Alienat. jud. mutan. caus. fac. ubi eadem verba ponuntur: Facit etiam textus valdè notabilis in leg. Bonæ fidei, versic. Nec interest, supra, de acquirend. rer. dom. ubi expressè dicitur, quod si res affecta aliquo vitio reali alienetur, licet non transeat dominium, nec usucapiendi conditio; bene tamen transit possessio, & acquisitio fructuum. Pro qua etiam sententia considero subtiliter legem nostram 45. Tauri in fin. ubi dicit, quod mortuo possessore majoratus, possessio transeat in successorem, quamvis aliquis tertius occupaverit possessionem in vita post mortem possessoris, vel de manu ejus eam habuerit: ergo apertè præsupponit, quod licet sit res majoratus, vel prohibita alienari, & contractus vel alienatio non teneat, tamen bene transfertur possessio. Et in tantum hoc est verum, ut procedat etiamsi lex vel dispositio hominis, quæ prohibet alienare vel contrahere, expressè dicat & disponat, quod etiam non possit fieri traditio; & si fiat, quod nullius sit momenti: tamen debet intelligi quod nihil valeat quoad translationem domini, sed possessio civilis & naturalis bene transfertur: ita probat textus notabilis, & subtilis in leg. 3. §. Sciendum. ibi: Nec traditio quicquam valet. ff. de Donat. inter vir. & uxori. ubi disponitur,

quod donatio inter conjuges est omnino nulla, adeo quod traditio nihil valet: & tamen intelligitur quoad dominium; quia possessio bene transfertur, ut est casus expressus in dict. §. Si vir uxori, ergo apertè ista illatio est verissima: & illum text. ad hoc ita inducit Aretin. in dict. §. Si vir uxori, 2. column. num. 4. dicens semper esse mente tenendum: Socin. consil. 13. 4. volum. Et ista opinio & consideratio est verissima, nisi lex ultra procederet annullando acquisitionem possessionis, ut probat textus notabilis & expressus in leg. unic. Cod. Non licere habitatoribus Metrocomiæ loca sua ad extraneum transferre, lib. 11. ibi: Quo modo possidendi licentia tribuatur. Nec considerationi Aret. obstat text. in leg. Is cui bonis, ff. de Verbor. obligat. ibi: Tradere verò non potest, per quam notat ibi Angel. de Perus. in princ. num. 2. quod ille qui non potest alienare, vel se obligare, non potest etiam tradendo transferre possessionem: Quia ille text. & determinatio Angel. debet per supradicta intelligi, quando persona est inhabilis contrahere vel alienare ex defectu animi & intellectus: quo casu impeditur etiam translatio possessionis; quia animo non potest eam amittere: Conclusio verò Aretin. in qua sumus, procedit quando persona non est inhabilis ex defectu animi, sed ex alia ratione vel qualitate extrinseca, puta, ne res alienetur extra familiam, vel alias; quia tunc non impeditur translatio possessionis, licet impediatur translatio domini: & ita intelligit & declarat Vicent. in dict. §. Si vir uxori, 4. column. num. 28. & Franc. de Rip. in dict. leg. Is cui bonis, 12. column. num. 52.

Unum tamen est, quod talis prohibitus, licet transferat possessionem cum titulo, tamen non transfert eam qualificatam, ut transeat quasi dominium in accipientem, & competat sibi Publiciana: ita probat textus in leg. Magis puto, vers. Si pupillus juncta Glos. ff. de Rebus eorum, ubi dicitur, quod si pupillus alienum fundum bona fide possideat, non potest talis fundus sine decreto alienari; & sic illud quasi dominium quod pupillus habeat non potest alienari: unde clarè deducitur, quod prohibitus alienare non transfert quasi dominium, nec Publicianam, & per consequens non competit accipienti: & ad hoc illum textum juncta Glossa reputat singularem Aretin. in dict. §. Si vir uxori, 2. col. in fine. Sed tu adde, quod ille textus bene probat, quod prohibitus alienare non potest alienare rem in qua habet quasi dominium; sed non rectè probat, quod accipiens non habeat Publicianam; quia licet possessor qui alienat rem non habeat quasi dominium, nec sibi competit Publiciana, puta, quia possidet cum mala

fide; tamen alienat, & qui recipit ab eo cum titulo & bona fide, bene acquirit quasi dominium & Publicianam: textus est & ibi communis opinio. *in leg. Tum qui prætor. §. Ait. ff. de Publician.* Quod procedit etiam stante hodie Authent. *malæ fidei. Cod. de Longi tempor. præscript.* quia illa debet intelligi quoad effectum præscriptionis; secus quoad Publicianam: ita ibi Bartol. Bald. Alber. Angel. de Perus. & communiter DD. Bald. notabiliter *in leg. Ancillæ. Cod. de Furtis. 3. column. post princip.* Glossa notabil. *in cap. Abbate sanè, de re jud. in 6. in glossa magna in medio.* Salyc. post alios *in d. ff. Authent. malæ fidei penult. col. 8. quæst. Jas. notab. in §. Sed iste quidem Instit. de action. 15. column. num. 78.* Unde pro sententia & notabili conclusione Aretin. est textus formalis & expressus *in leg. Cum sponsus. §. Si res. ff. de Publician.* cuius verba sunt: *Si res talis sit, ut eam lex aut constitutio alienari prohibeat, eo casu Publiciana competit, & ad hoc notant ibi Bald. Alberic. & Angel. & illum textum ad hoc notat & commendat Vicent. in dict. §. Si vir uxori. penult. column. in fin.* Confirmatur etiam: quia res prohibita alienari non potest præscribi, ut *in leg. 2. & ibi DD. Cod. de Usucap. pro empt.* sed regulariter quando non competit Publiciana, ut *in leg. Eum qui, in princip. ff. de Public.* Ergo, &c. (k)

Tertio ex prædicta tertia conclusione principali infero, quod licet fundus dotalis non possit alienari, ut *per totum titulum. ff. de Fundo. dotal.* tamen si alienetur, bene transit possessio. Quarto infero, quod etsi mulier sine licentia viri non possit contrahere, vel quasi contrahere, prout hodie disponitur in nostro Regno; si alienat & tradit, bene transfert possessionem. Quinto infero, quod licet de jure communi donatio omnium bonorum præsentium & futurorum non valeat, ut *in leg. Stipulatio hoc modo concepta, infra, de Verbor. obligation.* & ibi commun. DD. & *in leg. fin. Cod. de Pact.* & hodie de jure nostri Regni donatio solum bonorum præsentium non valet, ut *in ll. Taur. & similiter donatio ultra quingentos solidos sine insinuatione non valeat, ut in leg. penultim. versic. Ceteris. de Donat. & in leg. 9. titul. 4. part. 5.* tamen, si res donata tradantur, bene transit possessio.

27 Sexto ex prædicta tertia conclusione principali infero notabiliter, quod licet contractus simulatus sit ipso jure nullus, ut est casus

*in leg. Nuda. ff. de Contrah. emptio. ejus littera est; nuda & imaginaria venditio pro non facta est, & ideo nec alienatio ejus rei intelligitur, & notant Bartol. Alber. Bald. Salycet. & communis opinio: Textus in leg. Contractus. ff. de Action. & obligat. textus in leg. Imaginaria. ff. de Regul. jur. textus in leg. Sulpicius Marcello. ff. de Donat. inter vir. & uxor. text. in leg. Vir mulieri, eodem titul. textus in leg. Simulatè. ff. de Ritu nuptiar. textus in leg. Et qui sub imagine. Cod. de Distrach. pignor. textus in leg. 1. & per totum. Cod. Plus valere quod agit. tradit Bartol. ubi bene declarat, in leg. Post contractum. ff. de Donat. 2. column. num. 4. Paul. de Castr. in leg. Juris gentium. §. Dolo malo. ff. de Pactis, notabiliter Angel. in leg. Contractus. ff. de Action. & obligation. Jason. in §. Item si quis in fraudem. Institur. de Action. 1. column. num. 7. Quod procedit etiam si in tali contractu ponatur juramentum: Gloss. est singularis in jure *in leg. emptio. Cod. Plus valere quod agitur, &c.* quam ibi reputat singularem Angel. & tenent & commendant Cin. Bald. Salycet. & communiter DD. & illam Gloss. dicit unicam & non alibi Angel. *in leg. 1. in fin. Cod. de Dote cauta non num. illam Gloss. dicit singular. Abb. in cap. Ad nostram, de emptio. & vendit. 1. column. num. 5.* illam etiam notat & sequitur Imol. *in cap. Cum contingat, de jurejur. 16. fol. num. 76.* & dicit singular. Jas. *in §. Item si quis in fraudem. Institur. de action. 1. column. num. 7.* Idem Jas. *in §. Fuerat. eodem titul. 17. column. num. 87.* Idem Jas. *in leg. Cum ea. Cod. de Transact. 2. column. n. 4.* & ista est communis opinio secundum Alexand. *in leg. Nemo potest. ff. de Legat. 14. column. in fin. num. 16.* & Jas. *ibi: 8. column. num. 39.* & ratio hujus est, quia in tali contractu non intervenit consensus partium, & est sicut corpus sine spiritu: ita Bartol. *in leg. 1. Cod. Plus valere quod agitur. 2. column. n. 4.* Idem Bald. *in l. 1. Cod. de Oper. lib. 2. column. in princip.* Paul. de Castr. *in l. Si quis pro empt. ff. de Fidejuss. 3. column. in princ.* pro qua ratione facit bonus text. & ibi communis opinio *in leg. final. Cod. de Non numerata pecun.* Tamen, si ex tali contractu sequatur traditio, bene transit possessio in accipientem: ita expressè tenet Bartol. *in leg. Emptor. ff. de Aqua pluv. arc. per text. in dict. §. Si vir uxori, supra allegat, quem sequuntur ibi communiter DD.* Pro qua sententia facit bonus text. *in l. Quemadmodum. Cod. de Agric. & cens. lib. 11.* quem ibi ad hoc expressè notat Bartol. col.*

*column. 2. notabile* tenet Bald. per textus ibi *in cap. 1. §. Calidis post princip. de prohibita alien. per Feder.* Quod procedit & est verum, quando constat quod tradens habuit animum transferendi possessionem; cum in ejus acquisitione non requiratur causa, ut supra conclusum est: tamen in dubio, quando simpliciter traditur, præcedente contractu simulato, non transfertur possessio in accipientem: ita singulariter Bartol. *in dict. leg. Emptor. de aqua pluvial. arc.* quia traditio ipsa ita est præsumenda simulata sicut contractus; & ibi non consideratur voluntas & animus possidendi, cum deficiat consensus: argumento etiam textus quem Bartol. allegat, licet corruptè, *in leg. Cum propria. Cod. Si quis alteri vel sibi, qui textus parum vel nihil probat.* Et istam sententiam & conclusionem Bartol. tenet Joan. de Imol. reputans esse singularem, *in dict. leg. Emptor. in fin. & tenet ibi Cuman. in fin. Angel. de Perus. in leg. Contractus in fin. ff. de Action. & obligat.* per textum quem dicit unicam & non alibi, *in dict. leg. Emptor. de aqua pluvial. arc. & illum textum etiam ad hoc dicit unicam in leg. Si donationem. Cod. de Colat. 1. column. num. 2.* Sed certè ille textus nihil penitus probat. Istam etiam conclusionem Bartol. per rationem supra dictam tenet expressè & notabiliter Alexand. *in dict. §. Si vir uxori. 3. column. num. 9.* & tenet ibi in Cuman. *2. column. in fin. Ludovic. Roman. in princip. Aretin. 3. column. post princip. Vicent. ibi 8. column. in fin. num. 17.* & ista est communis opinio. Licet Bald. expressè teneat contrarium *in leg. Emptione, finali quæst. Cod. Plus valet quod agit. & ibi Salycet. 2. column. num. 3.* & Joan. de Imol. *in cap. Cum contingat, de jurejur. 19 fol. num. 76.* imò, quod ex contractu simulato, secuta vera & actuali traditione, in dubio transeat possessio in accipientem. Sed certè verior est superior communis opinio, quam ego sequor. Nec ei obstat textus cum communi doctrina *in dict. §. Si vir uxori, ubi ex contractu penitus nullo transit possessio: Quia in eo non requiritur aliqua causa: nam debet intelligi, quando constat quod tradens voluit transferre possessionem, ut supra bene conclusum est; in contractu verò simulato cessat talis voluntas, tam in tradente, quam in accipiente; undè possessio non transferetur: & ista fuit mens & intentio Bartol. & communis opinionis. Nunc autem noviter & singulariter limita & intellige prædictam communem opinionem, quæ habet quod*

in dubio ex contractu simulato secuta traditione non transit possessio, ut procedat quando contractus omnino & propriè esset simulatus, ut quia ibi nullus alius præcessit contractus, titulus, nec causa justa: secus tamen si præcessit, & illa non exprimitur, sed fingatur alia; quia tunc, secuta traditione, bene transit possessio, non virtute causæ simulatæ, sed ex vera quæ præcessit inter partes, & possessio & voluntas tradentis & accipientis ab ea recipit fomentum: Imò non solum acquireretur possessio, sed etiam dominium, si causa illa, quæ verè præcessit, erat sufficiens ad translationem domini: & hoc tali fundamento & consideratione, quia in prædicto casu licet titulus, contractus, vel causa quæ fingitur vel simulatur, sit nulla; tamen illa causa quæ verè agitur inter partes, & in veritate præcedit, remanet valida & firma, & producit omnes suos effectus ac si verè illa sola & non alia exprimeretur: iste est textus singularis qui istam doctrinam & conclusionem probat *in leg. 3. Cod. de Contrah. empt. textus in leg. Empti fides. versic. fin. eodem tit. textus in leg. Cum ea. Cod. de Transactionibus. textus in leg. Si ex pretio. Cod. Si cert. petat. textus notabilis juncta Glossa & communi intellectu, in leg. Si sub specie. Cod. de Postulando. textus expressus in leg. 1. 2. & 3. & per totum. Cod. Plus valere quod agitur, & iste est sensus illius tituli. Et in expresso istam conclusionem & declarationem ponit Glossa ordinaria *in leg. Nuda. ff. de Contrah. empt.* Glossa *in dict. leg. Si sub specie. Cod. de Postul. in verb. Non numerata,* ponit etiam Bartol. *in dict. leg. Emptor. in princ. de aqua pluvial. arc. Bartol. in leg. Lucius. la 2. ff. Deposit. & ibi Paul. & communiter DD. idem Bartol. in leg. Si ex pretio, & ibi alii DD. Cod. Si cert. petat. Paul. de Castr. notabiliter in leg. Juris gentium. §. dolo, in princ. ff. de Pactis.* Ergo si illa causa justa & vera, quæ præcessit, valet, sequitur quod per traditionem quæritur possessio accipienti, licet alia causa vel contractus simuletur. Pro qua facit viva & concludens ratio; quia ex contractu simulato, etiam si traditio sequatur, non quæritur possessio accipienti, quia ibi deficit omnino animus acquirendi, ut supra dixi: sed quando causa vera præcessit, & alia simulatur, & sequitur traditio, ibi consideratur animus utriusque respectu illius causæ veræ: ergo possessio quæritur accipienti: (l) & ista est vera & notabilis consideratio, quam expressè tenet solus Salycet. li-*

(k) Vide ad hujus quæstionis resolutionem, quæ latissimè tradit Mieres. *in tract. Majoratum, 3. part. quæst. 9. num. 16. & seq. Peralt. in leg. Titia cum testam. §. Titia cum puberet. numer. 12. de legat. 2.*

(l) Circa hanc quæstionem. vide adhuc Bartol. *in §. Nihil commune, & Claudium ibi num. 13. Blanditium de Horcalanis num. 20. Bolognet. num. 67. Socin. column. fin. Paris de Puteo num. 31. Crot. num. 31. Alciat. num. 13.*